



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum**

**Polius, Jacobus**

**Herbipoli, 1652**

20. An conjuges ad locum confusionis tam citò redierint ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43946**

2. Eadem confirmant referuntque, Breviarium Romanum annis 1520. & 1533. Parisiis impressum. Breviarium Ord. Prædicatorum anno 1516. editum in festo S. Annæ. Bertrand. Cardinalis serm. 2. de nat Domini. Jacobus de Voragine in nat. B. Virg. Nitzsche witz Psalterii pag. 3. Themefwar serm. 5. de SS. Galatin. lib. 7. c. 8. Adrichomius pag. 259. theatri terræ sanctæ. Canisius Marialis lib. 1. c. 4. Beyerlinck in Theatro, verbo: Angelus. Wilderad vineti S. Annæ c. 4. Offic. B. Virg. edit. 1548. Paris. fol. 52. Leuchtius Viridarii Regii l. 3. c. 32. Abrahamus Bzovius Pannegyrice 3. in Nat. Virg. & alii §. 13. p. 1. citati.

3. Tempus apparitionis si perquiritur, extra dubium manet, Annam concepisse non diu post Angelicam apparitionem, quod pars adversa concedit & quæst. 21. plenius demonstrabitur.

### QVÆSTIO XX.

*An SS. Conjuges ad locum confusionis  
tam citò redierint?*

**M**ense Hebræorum Casleu, occurrens festum Encœniorum ferè incidit in nostrum mensem Decembris, ut docet Hieronymus Natalis & alii. Frequentationem ejusdem festi nulli obligatoriam fuisse probavimus 13. quæstione supra. Cum itaque sævâ hyeme, motu spontaneo, solo pietatis intuitu, SS. Conjuges Nazaretho Hierosolymam perrexerint, adhuc incertum manet, primo an Joachim ipso festo, an verò in-

fra

fra octavam munera inferre attentarit? Secundo an exteri homines & de longinquo advenæ, omnibus incolis urbis noti fuerint? Tertio an verisimile videatur, quod seclusis Hebræis, difficili tempore de longinquo etiam advenis & convenis, soli Hierosolymitani cives. Ita circumstiparint Altare, ut omnia quæ inibi gererentur exactissimè notare potuerint? istis aquâ lance pensatis, facilis ad dubium motum confurget responsio.

2. Deinde cum tractatus Germanicus, qui talem scrupulum movet, concedat Angelicam apparitionem, stante hac hypothese, mirandum venit, quod divinum oraculum non æstimet sufficiens, ut ei parendum fuerit. Insuper cum non sint cogitationes Dei, ut cogitationes hominum, nec sint viæ Dei, ut viæ hominum, an non censendum, quod SS. Conjuges simul ex visitatione angelicâ fuerint induti virtute ex alto, ut pro nihilo duxerint ab humano iudicari die? An non dicente Philosopho, *quod parum distat nihil distare videtur?* in quem scopum consonat insigniter Epiphanius hæresi 79. ubi verba Angeli ad Joachimum: *Uxor tua concepit*, insigniter adducit ad verum sensum: concipiet, secundum modum loquendi Prophetarum, quibus præsentia videntur, quæ brevi implenda sunt.

QVÆ-